FORMA PRECUM

In utràque Domo

CONVOCATIONIS,

SIVE

Synodi Prælatorum,

Et cæteri

CLERI NATIONALIS,

In ipso statim cujuslibet Sessionis initio solenniter recitanda.

Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. Psal. 124. 8.

Ubi duo vel tres sunt congregati in nomine meo (inquit Christus Dominus) *ibi sum in medio eorum.* Matth. 18. 20.

DUBLINI,

Impensis *Jos. Ray*, apudque eum prostant in vico dicto *Skinner-Row* juxta *Tholsel.* 1704.

FORMA PRECUM

In usum Domo

CONVOCATIONIS,

SIVE

Synodi Prælatorum,

Habendi

CLERI

BRITISH MUSEUM

NATIONALIS,

In ipso Festo cujuslibet Sessionis initio

Solemniter recitanda.

DUBLINI,

Excudebat Joh. Rey, apudque eum prostant in vico dicto Skinner-Row juxta Tholsel. 1704.

LITANIA

SEU

Supplicatio Generalis,

Initio cujuſlibet Seſſionis ſolenniter recitanda: præeunte, in Domo quidem ſuperiori, Epiſcopo noviſſime conſecrato; in inferiori autem Prolocutore, poſtquam fuerit electus, approbatus, & confirmatus.

PATER cœleſtis Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Pater cœleſtis Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Fili Redemptor Mundi Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Fili Redemptor Mundi Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Spiritus ſancte Deus, à Patre, & Filio procedens, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Spiritus ſancte Deus, à Patre, & Filio procedens miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Sancta, beata, & glorioſa Trinitas, tres Perſonæ, unus Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Sancta, beata, & glorioſa Trinitas, tres Perſonæ, unus Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Ne memineris, Domine, iniquitatum vel noſtrarum vel patrum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris; Parce nobis, Domine, parce populo tuo, quem redemiſti pretioſiſſimo ſanguine tuo, & ne in æternum iraſcaris nobis.

Parce nobis, Domine.

Ab omni malo & afflictione, à peccato, ab inſidiis & incurſibus Diaboli, ab irâ tuâ, & ab æternâ damnatione,

Libera nos, Domine.

Ab omni cœcitate cordis, à ſuperbiâ, vanâ gloriâ, & hypocriſi, ab invidiâ, odio & malitiâ, & ab omni affectu à charitate alieno,

Libera nos, Domine.

A ſcortatione, omnique alio peccato mortifero, & ab omnibus dolis Mundi, Carnis, & Diaboli,

Libera nos, Domine.

A fulgure, & procellâ, à lue, peſtilentiâ, & fame, à bello, cæde, & ab improviſâ morte,

Libera nos, Domine.

Ab omni ſeditione, clandeſtinâ conjuratione, & perdu-

perduellione ; ab omni falſo dogmate, hereſi, & ſchiſmate ; à duritiâ cordis, & contemptu verbi, & mandati tui,

Libera nos, Domine.

Per myſterium ſanctæ Incarnationis tuæ, per tuam ſanctam Nativitatem & Circumciſionem, per Baptiſmum tuum, Jejunium, & Tentationem,

Libera nos, Domine.

Per Agoniam tuam, & ſanguineum Sudorem, per Crucem tuam, & Paſſionem, per pretioſam Mortem tuam, & Sepulturam, per glorioſam Reſurrectionem tuam, & Aſcenſionem, & per adventum Spiritûs ſancti,

Libera nos, Domine.

Omni tempore tribulationis noſtræ, omni tempore proſperitatis noſtræ, horâ mortis, & die judicii,

Libera nos, Domine.

Peccatores te rogamus, audi nos, Domine Deus, atque ut Sanctam tuam Catholicam Eccleſiam in viâ rectâ regere, & gubernare digneris ;

Te rogamus, audi nos, Domine.

Ut in vero tui cultu, in juſtitiâ, & ſanctitate vitæ cuſtodire & confirmare digneris Famulam tuam *ANNAM* Clementiſſimam noſtram Reginam & Gubernatricem ;

Te rogamus, audi nos, Domine.

Ut Cor illius in fide, timore, & amore tuo, regere digneris, & ut in te sempèr fiduciam suam ponat, & semper quærat honorem & gloriam tuam;

Te rogamus, audi nos, Domine.

Ut defensor & custos illius esse, eique victoriam in omnes inimicos ejus concedere digneris;

Te rogamus, audi nos, Domine.

Ut *Catharinæ* Reginæ Dotariæ, Principi *Sophiæ*, totique Familiæ Regiæ benedicere, eásque conservare digneris;

Te rogamus, audi nos, Domine.

Ut omnes Episcopos, Presbyteros, & Diaconos verâ cognitione, & intellectu verbi tui illuminare digneris; & ut tum doctrinâ tum vitâ suâ, illud promoveant, & pro dignitate illustrent;

Te rogamus, audi nos, Domine.

Ut præsenti huic Convocationi [vel Synodo] Spiritu tuo sancto aspirare, & præesse digneris; qui nos ducat in omnem veritatem quæ est secundum pietatem;

Te rogamus, audi nos, Domine.

Ut eos qui sunt Reginæ à Consiliis, & omnes regni Proceres, gratiâ, sapientiâ, & intelligentiâ donare digneris;

Te rogamus, audi nos, Domine.

Ut Magistratibus benedicere, eosque tueri digneris;

neris; gratiam eis largiendo, ut exequantur juſtitiam, & rectum defendant;

Te rogamus, audi nos, Domine.

Ut populo tuo univerſo benedicere, eúmque conſervare digneris;

Te rogamus, audi nos, Domine.

Ut omnibus nationibus unitatem, pacem, & concordiam largiri digneris;

Te rogamus, audi nos, Domine.

Ut nobis cor dare digneris quo te amemus, & timeamus, ac ad norman mandatorum tuorum vitam diligenter inſtituamus;

Te rogamus, audi nos, Domine.

Ut omni populo tuo incrementum gratiæ donare digneris, quo verbum tuum humiliter audiant, & puro corde recipiant, & fructus Spiritûs proferant;

Te rogamus, audi nos, Domine.

Ut errantes & ſeductos omnes in viam veritatis reducere digneris;

Te rogamus, audi nos Domine.

Ut ſtantes confirmare, corde debiles ſolari & adjuvare lapſos ſurrigere, ac Satanam tandèm ſub pedibus noſtris conterendum dejicere digneris;

Te rogamus, audi nos Domine.

Ut omnibus in periculo, neceſſitate, & anguſtiâ conſtitutis ſuccurrere, auxiliari, & ſolatium adhibere digneris;

Te rogamus, audi nos, Domine. Ut

Ut omnes terrâ marique iter facientes, omnes parturientes, omnes ægrotantes, & infantes conſervare ; & in omnes carcere detentos, captivósque, miſericordiam tuam oſtendere digneris ;

Te rogamus, audi nos, Domine.

Ut orphanis & viduis, deſolatis omnibus & oppreſſis, opitulari & providere digneris ;

Te rogamus, audi nos, Domine.

Ut omnium hominum miſerere digneris ;

Te rogamus, audi nos, Domine.

Ut inimicis, perſecutoribus, & obtrectatoribus noſtris ignoſcere, & eorum corda immutare digneris ;

Te rogamus, audi nos, Domine.

Ut fructus terræ genuinos in uſum noſtrum dare, & conſervare digneris, ità ut eis tempore opportuno piè utamur ;

Te rogamus, audi nos, Domine.

Ut veram pœnitentiam nobis largiri, peccata noſtra omnia, omnia, ex negligentiâ aut ignorantiâ, admiſſa, nobis condonare, & ſancti Spiritûs tui gratiâ nos induere digneris, ut vitam noſtram ad ſancti verbi tui normam emendemus ;

Te rogamus, audi nos, Domine.

Fili Dei, te rogamus, audi nos.

Fili Dei, te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,

Dona nobis pacem tuam.

Agnus

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Miſerere noſtri.
Chriſte, exaudi nos.
Chriſte, exaudi nos.
Kyrie, eleëſon.
Kyrie, eleëſon.
Chriſte, eleëſon.
Chriſte, eleëſon.
Kyrie, eleëſon.
Kyrie, eleëſon.

PAter noſter qui es in cœlis, Sanctificetur Nomen tuum. Adveniat Regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terrâ. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodiè. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem; ſed libera nos a malo. *Amen.*

Domine, ne ſecundum peccata noſtra facias nobis.
Neque ſecundum Iniquitates noſtras retribuas nobis.

Oremus.

DEus, Pater miſericors, qui nec ſuſpiria contriti cordis, nec mœrentium deſideria diſpicis, propitius adeſto precibus noſtris, quas tibi in

 omnibus

omnibus afflictionibus & anguſtiis noſtris, ſi quando nos opprimant, effundimus ; Nóſque clementèr exaudi, ut quæ contra nos mala, Diaboli, aut hominum fraus & aſtutia machinatur, ad nihilum redigantur, & providentiâ benignitatis tuæ diſſipentur : Ut nos ſervi tui nullis perſecutionibus læſi, in Eccleſiâ tuâ ſanctâ gratias tibi in æternum tribuamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Exurge, Domine, adjuva nos, & libera nos propter Nomen tuum.

DEus, auribus noſtris audivimus, & Patres noſtri annunciaverunt nobis, Magnalia tua quæ operatus es in diebus eorum, & in antiquis retrò ſæculis.

Exurge, Domine, adjuva nos, & libera nos propter Honorem tuum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in Principio, & nunc, & ſemper, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Ab inimicis noſtris defende nos, Chriſte.

Reſpice clementèr afflictiones noſtras.

Dolores cordium noſtrorum miſerantèr aſpice.

Propitius ignoſce peccatis populi tui.

Benignè

Benignè miſericors audi orationes noſtras.

Fili David, miſerere noſtri.

Et nunc, & ſemper nos exaudire digneris, ô Chriſte.

Chriſte, exaudi nos clementèr; clementèr exaudi nos, ô Domine Chriſte.

Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam;

Quemadmodum ſperamus in te.

Oremus.

INfirmitates noſtras, ſupplices quæſumus, ô Pater, benignè reſpice, & propter gloriam nominis tui, mala ea omnia, quæ juſtiſſimè promeriti ſumus, à nobis averte; & præſta, ut in omnibus adverſitatibus noſtris, ſpem noſtram, & fiduciam omnem, in miſericordiâ tuâ collocemus; Tibique in Sanctitate ac Puritate vitæ inſerviamus jugiter, in honorem tuum, & gloriam, per Mediatorem & Advocatum noſtrum unicum, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Oratio pro Supremâ Curiâ Parliamenti, durante ejus Seſſione.*

CLementiſſime Deus, te rogamus ſupplices, cùm pro univerſo hoc regno, tum maximè pro

Supremâ Curiâ Parliamenti, ſub pientiſſimâ ac clementiſſimâ Reginâ noſtrâ jam congregatâ, ut cunctas eorum deliberationes dirigere ac proſperare digneris, ad gloriæ tuæ incrementum, Eccleſiæ tuæ bonum, ſecuritatem, decus, & commodum Reginæ noſtræ, & Regnorum ejus; quo eorum conatibus omnia ita conſtituantur ac ſtabiliantur, optimis, fidiſſimiſque ſubnixa fundamentis, ut Pax ac Felicitas, Veritas ac Juſtitia, Religio ac Pietas, apud nos ſtabilita maneant per omnia ſæcula. Hæc & alia, ipſis, nobis, & Univerſæ Eccleſiæ tuæ neceſſaria, ſupplices à te petimus, in Nomine ac per Mediationem beatiſſimi Domini ac Servatoris noſtri Jeſu Chriſti. *Amen.*

¶ *Oratio pro præſente Convocatione ſive Synodo.*

DOmine Deus, Pater Luminum, & Fons omnis Sapientiæ; Nos ad Scabellum pedum tuorum provoluti, humiles tui & indigni famuli, te rogamus, ut qui in Nomine tuo, ſub auſpiciis clementiſſimæ Reginæ *ANNÆ* hic convenimus, Gratiâ tuâ cœlitus adjuti, ea omnia inveſtigare, meditari, tractare, & diſcernere valeamus, quæ honorem tuum & gloriam promoveant, & in Eccleſiæ cedant profectum. Concede igitur ut Spiritus tuus, qui Concilio olim Apoſtolico, huic noſtro

ſtro etiam nunc inſideat, ducatque nos in omnem veritatem, quæ eſt ſecundum Pietatem: Ut quí, ad amuſſim ſanctæ Reformationis noſtræ, errores, corruptelas, & ſuperſtitiones olim hic graſſantes, Tyrannidémque Papalem, meritò & ſeriò repudiavimus, Fidem Apoſtolicam & verè Catholicam, firmiter & conſtanter, teneamus omnes, Tibique ritè puro cultu intrepidi ſerviamus, per Jeſum Chriſtum Dominum & Servatorem noſtrum. *Amen.*

¶ *Superaddi poterunt quatuor Collectæ, vel aliquot earum, prout viſum fuerit, pro univerſo Clero. Quæ autem illas ſequitur, quinta, quæ Sancti* Chryſoſtomi *dicitur, nunquam omittatur.*

I. OMnipotens Deus, qui Eccleſiam tuam, Apoſtolorum & Prophetarum fundamento, ipſíque adeo imo ejus angulari lapidi Jeſu Chriſto, inædificâſti; concede nos ità per eorum Doctrinam in unitate Spiritûs conjungi, ut in Templum ſanctum Tibi acceptum exurgamus per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

II. OMnipotens & ſempiterne Deus, cujus ſpiritu integrum Eccleſiæ corpus regitur & ſanctificatur; Supplicationes noſtras ac preces ſuſcipe, quas pro omnibus in Eccleſiâ tuâ ſanctâ hominum

hominum ordinibus Tibi offerimus: Ut unumquodque ejuſdem membrum, pro ſuo munere, & miniſterio, ſincerè Tibi, & religiosè inſerviat, per Dominum & Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum. *Amen.*

III. OMnipotens Deus, qui per Filium tuum Jeſum Chriſtum, Sanctis Apoſtolis tuis multa contuliſti dona præſtantia, iiſque ut gregem tuum paſcerent, inſtantèr præcepiſti; Faxis, quæſumus, ut Epiſcopi & Paſtores omnes, ſanctum verbum tuum diligentèr prædicent, populúſque eidem ſtudiosè obſequatur, quo æternæ coronam gloriæ conſequamur omnes, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

IV. GOncede, quæſumus, Domine, ut mundi hujus tenor ita placidè moderamine tuo temperetur, ut Eccleſia tua piè, tranquillè, & alacritèr tibi famuletur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

V. OMnipotens Deus, qui gratiam nobis dediſti, ad communes noſtras hoc tempore preces, uno Tibi animo effundendas, quique polliceris, ubi duo vel tres in Nomine tuo congregati fuerint, Te eorum Petitiones exauditurum; Famulorum

lórum tuorum, Domine, desideria ac vota, prout illis expediat maximè, jam adimple; concessâ nobis in hoc sæculo tuæ veritatis cognitione, & in futuro vitâ æternâ. *Amen.*

GRatia Domini nostri Jesu Christi, & Charitas Dei, & Communicatio Spiritûs sancti, sit semper nobiscum omnibus. *Amen.*

FINIS.

¶ *Oratio pro Domino Locum tenente.*

OMnipotens Deus penes quem eſt omnis terrena poteſtas, te ſupplices rogamus, ut benedicas Illuſtriſſimo JACOBO ORMONIÆ Duci, ſummo hujus Regni Gubernatori; & faxit Deus ut Gladio a Sereniſſima Reginæ Majeſtate illi concredito in fide tua & timore utatur, & ſecundum ſacro ſanctam tuam voluntatem & verbum; gratia tua illum illuminet, ſtabiliat bonitas, & conſervet providentia; benedicas quæſumus quotquot ſunt a Reginæ Conciliis ſecretioribus, ut auxilio tuo Divino freti, Gloriæ tuæ incremento, Eccleſiæ bono, ſacræ Reginæ Majeſtatis decori, Securitati denique & commodo hujus Regni, in ſuis deliberationibus conſulant. Da hæc Pater miſericors, propter Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum unicum & redemptorem. *Amen.*

8 ME 53